



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. I. Animi definitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

rūm, quia ille status est anime connaturalis, & perfecta anime notitia in his libris intenditur, etiam pertinet ad illos disputatio de predicto anime statu.

Scientia de animā, maiori ex parte speculatiua est: nam cognitio de ipsā animā & eius potentijs nequit nobis ad eas efficiendas deferuere; quā parte uero agit de illius actibus, practica uidetur, possumus enim ex cognitione eorum actuum ad eosdem efficiendos dirigi.

Circa ordinem horum librorum hac seruabo. primò agam de essentiā anime, eiusque compositione & uitā; secundo, de eius potentijs in communi; tertio, de potentijs proprijs anime intellectiue; quarto, de illius habitibus; quinto tandem, de rationali separata nonnulla dicam.

DISPUTATIO PRIMA.

De Animā secundum se.

SECTIO I.

Animi definitio.



RISTOTELES lib. 2. cap. 1. animam definiuit esse actum primum corporis organici physici potentia uitam habentis. Illud actus est genus, quo anima conuenit cum omnibus formis, etiam accidentalibus, quæ omnes sunt actus sui subiecti. Tā primus ponitur loco differentia à formis accidentalibus, quæ sunt actus secundus subiecti. Pro quo aduerte, actum primum & secundum dupliciter usurpari solere: Primò pro uirtute productiua quæ actus primus dicitur; & pro actione, quæ dicitur actus secundus: in hoc sensu non omnia accidentia sunt actus secundus; multa enim sunt operatiua, & consequenter sunt actus primus. Alio sensu sumitur in præsentia actus primus, scilicet pro eo quod est primum complementum substantiale rei, quod proprium est solius formæ substantialis; accidentalis uero in hoc sensu proprium est, esse actum secundum, supponentem iam completum substantialiter subiectum, de quo fufius in Metaphysicā. *Corporis physici*: his uerbis excluduntur corpora artificiosa & Mathematica, quorum formaliter ut talium anima non est actus primus informans aut constituens. *Organici* explanantur dispositiones, quibus materia necessario debet preparari ad receptionem animæ; sed quia hæ dispositiones videntur etiam esse aliquo modo in cadauere, ideo additur ultimò *potentia uitam habentis*, quia corpus sub animā habet potentiam proximam ad uitam, quæ caret dum est sub formā cadaueris, aut embryonis. Circa hanc definitionem

Prima potest esse difficultas, Quid nomine corporis in præsentia significetur. Non defuere, qui intelligerent non solum materiam organizatam, sed etiam informatam ipsā animā uiuentis, non quidem secundum omnes suos gradus, sed solum secundum gradum corporeitatis; ipsam autem animam secundum ultimum gradum uiuentis esse actum quasi Metaphysicum & sui ipsius

& simul etiam materiæ, secundum gradum corporis præcisè. Ita expressè P. Suarez Disput. 1. §. 4. Metaphysicæ, lect. 10. num. 15. Arbitror, rectè posse dici, Metaphysicè loquendo, gradum ultimum animæ esse actum seu formam gradus superioris ipsius animæ, imò de facto differentia Metaphysicè seu Logicè semper dicitur actus generis; quæ in re nihil falsum docet Suarez. Verum in præsentia non ita esse intelligendum, uidetur certum, quia hic locutus est Aristoteles de corpore ut de comparte reali animæ; corpus autem, ut includens ipsum gradum superiorem animæ, non distinguitur realiter, sed Metaphysicè solum ab ipsā animā, etiam secundum ultimum gradum uiuentis, ergo non corporis non includit ultimum gradum animæ. Præterea, si anima solum sumeretur in præsentia secundum ultimum gradum Metaphysicum uiuentis, non esset actus primus corporis, quia iam supponeret corpus primò substantialiter completum per gradum superiorem ipsius animæ, scilicet, formæ corporis, vel substantiæ ut sic.

Alij docent, non corporis significare totum ipsum compositum, uiuens etiam secundum infimum gradum; animamque dici, actum primum illius, non quidem informantem, quia non informat totum compositum, sed constituentem. Ita multi recentiores, contra quos alij satis prolixè.

In primis, posse animam dici actum constitutum totius compositi, certissimum est; unde ex hac parte rectè poterat nomine corporis totum compositum explicari, etiam si anima diceretur illius actus. Sic anima dicitur forma hominis, & albedo forma albi, & tamen homo includit ipsam animam, & album albedinem. Verum in præsentia ab Aristotele non fuisse in hac acceptione usurpatum nomen corpus, suadet apertè ex eodem loco, text. 11. ubi tradita hac definitione, subdit, anima & corpus est animal, ergo Aristoteles nomine corporis non intellexit nisi solum materiam ut condistinctam ab animā. Deinde text. 4. dixerat, atque cum tale etiam sit corpus, id est habens uitam, corpus profecto non erit anima, sed ut subiectum potius est & materies. quibus uerbis clarè

Ddd 3 ostendit.

ostendit, à se nomine *corporis* solam materiam, quæ subiectum animæ est, intellectam.

- 7 Igitur dicendum est cum communi, *corpus* in præsentî significare solam materiam primam, non quidem organizatam (id enim per sequentia verba explicatur) sed secundum se; quo pacto etiam formæ inanimatæ sunt *actus corporis*, id est, *materia prima*.

Obijcies Primò: Lapis non dicitur constare corpore, etiam si constet materiâ, ergo hæc sola non est corpus. Respondeo, corpus Philosophicè, prout hic usurpatur, etiam conuenire alijs entibus; vulgariter autem solum applicari materiæ iam organizatæ. Quæ duo hic Aristoteles satis clarè distinxit, aliàs omisisset *organici*, si corporis nomine materiam organizatam significasset.

- 8 Obijcies Secundò: Anima non est actus primus solius materiæ, quia, iuxta dicta à nobis num. 1. actus primus est idem ac id quod est de primo & substantiali conceptu rei; sed anima non est de primo conceptu materiæ, quia omnino est extrâ illam, solum ergo erit actus primus totius compositi; ergo corpus in præsentî non solam materiam, sed totum etiam compositum significat. Respondeo, animam esse de primo conceptu materiæ, non quidem constitutiuo, sed completiuo in esse substantiali, in quo materia est incompleta; vnde nego, non posse animam dici actum primum etiam respectu solius materiæ.

- Secunda potest esse difficultas, Vtrum corpus organicum ita sit proprium viuientis, vt nulli alij possit conuenire. Quæstio etiam hæc est de solo nomine, scilicet de significatione vocis *organicum*. Dico igitur, si *organicum corpus* præcisè significet corpus cum varijs accidentibus & dispositionibus in diuersis materiæ partibus, posse etiam alijs rebus non viuentibus conuenire, v.g. iaspidi, cælo, cadaueri, & embryoni; si verò *organicum* significet materiam ita diuersè dispositam, vt siue proximè siue remotè ordinetur ad operationes vitæ, tunc sola anima, & forma per se illam antecedentes & subsequentes habebunt corpus organicum. Denique, si *organicum* solum significet dispositiones proximas & immediatas ad vitam, sola viuientia componentur corpore organico. Quæ autem ex his sit legitima huius nominis significatio, vix potest decerni, quia alij hæc alij verò illa vtuntur. rem intellige, nomine vtire vt libuerit.

- Tertia difficultas est, Quâ ratione corpus dicatur potentia vitam habere. Qui nomine *corporis* intelligunt totum compositum ex materiâ & animâ, id est totum viuens, necessariò debent de vitâ accidentali verba hæc explicare; nam viuens non habet in potentia vitam substantialem, sed potius est ipsa vita substantialis. Fateor, etiam aliquando dici, *homo habet animam*, cum tamen homo iam dicat animam; hoc tamen etiam reducit ad quæstionem de modo loquendi: magis propriè in eo sensu dicitur, habere in potentia vitam accidentalem, id est, actuales operationes vitæ. Qui verò per *corpus organicum* intelligunt solam materiam proximè dispositam ad vitam, dicunt, hæc verba, *potentia vitam habentis*, esse explicationem præcedentium. Quod si non audeas dicere, verbum hoc ab Aristotele otiosè positum, poteris intelligere per *corpus organicum*

materiam varijs dispositionibus affectam ac organizatam, etiam si proximè vitam non habeat, sed remotè, sicut corpus dum est sub embryone: per illud autem, *potentia vitam habentis*, distinctionem illius à corpore non viuentium, quia corpus in eo instanti, in quo est cum ipsâ animâ, habet potentiam proximam ad ipsam animam, quæ est vita substantialis; hæc autem potentia proximâ caret etiam corpus embryonis, quantumvis organis dispositum sit, quia nequit simul cum formâ embryonis habere vitam, licet illam possit habere amissâ formâ embryonis; & consequenter non habet potentiam proximam ad vitam substantialem.

Obijciunt aliqui: Ergo tunc ea definitio faciet hunc sensum, *Anima est actus corporis habentis potentiam ad ipsam animam*, quæ est vitiosa definitio. Qui hæc obijciunt, docent, nomine *corporis organizati* ipsam etiam animam includi, quos inde æquius ego rearguo sic: Ergo in eorum sententiâ idem est dicere, *anima est actus corporis*, ac dicere, *anima est actus compositi constantis materiæ & animæ*, quæ planè est vitiosior. Respondeo ergo, definitiones non idè esse vitiosas, quia significant idem quod definitum (imò, vt sunt bonæ, id debent habere) sed quia significant eisdem terminis. At, licet vita significet idem quod anima, est tamen conceptus clarior, idè est illa bona definitio. Et hanc fuisse mentem Aristotelis, non includentis nomine corporis animam, ostendi iam satis clarè supra ex illius verbis.

Obijcies tamen Secundò & difficilius: Eo instanti, quo corrupta est vnio substantialis ad animam, pro priori naturâ habuit materia potentiam proximam ad ipsam animam, nam in eo instanti potuerunt permanere dispositiones ad illam, & consequenter potuit ipsa cum illis manere, sicut in eo instanti quo quis habet amorem liberè, etiam habet potentiam proximam ad odium. Quod si in eo instanti naturâ habuit eam potentiam proximam, eam etiam habebit in toto instanti reali: vt enim sæpè dixi, instans illud est indiuisibile; & quod simul verè fuit in priori naturâ, necessariò fuit in toto instanti; ergo etiam eo instanti, quo corpus primò est sub formâ cadaueris, habet vitam substantialem in potentia proximâ, ergo non benè dictum est, id esse proprium corporis, dum est sub animâ. Respondeo facillè, dupliciter posse materiam seu corpus in instanti mortis considerari; vel in sensu composito cum ipsâ formâ cadaueris, aut dispositionibus ultimis ad illam, & vt sic non habet corpus potentiam proximam, neque remotam ad animam, quia ex suppositione, quod habeat formam contrariam, non potest habere animam: & in hoc sensu potest intelligi, quod in explicatione eorum verborum dixi. Aliter corpus tunc considerari potest, quatenus præscindit ab ipsâ formâ contrariâ, & ex se habet capacitatem ad formam rationalem eiusque dispositiones: & nec in hoc sensu habet capacitatem proximam ad animam, sed solum ad dispositiones pro animâ, & consequenter habet remotam capacitatem ad animam. & hoc solum probat obiectio, quæ malè intulit, *corpus habet potentiam proximam ad dispositiones, ergo & ad animam*: malè, inquam, intulit, quia dispositiones immediatè potest recipere sine alijs præuijs, animam autem non potest nisi post dispositiones.

positiones, quas tunc non habet, sed potest habere. Et hinc constat differentia inter potentiam ad amorem vel odium (de qua in obiectione) & potentiam ad animam, quod scilicet odium & amor liber non requirunt diuersas dispositiones; unde quando vnus est, est potentia proxima ad alium pro priori natura: ac anima praequirat dispositiones; quibus dum caret materia, non habet potentiam proximam ad animam, sed ad dispositiones pro illa; & dum praescindit a dispositionibus, praescindit a potentia proxima ad animam, nam ea potentia proxima constituitur per dispositiones illas.

17 Vltima tandem difficultas circa hanc definitionem est, Vtrum sit essentialis, an descriptiua. Communis sententia docet, esse essentialem: sed ego aliquid descriptiuum in illa reperiō, scilicet *organici*, quo significantur accidentia quibus materia disponitur ad formam viuentis; ea enim accidentia non sunt viuenti essentialia, neque enim totum substantiale potest componi, vt ex parte essentiali, ex accidente; ideoque etiam si anima rationalis vniretur cum materia organis omnibus carente, adhuc constitueretur homo essentialiter (vt fatentur omnes, quotquot bene negant formas partiales) ergo ex hac parte definitio est descriptiua, non secus ac si definirem hominem esse *animal bipes, rectum*. nisi velis explicare *organici* aptitudinaliter, ac si diceret, *anima est actus corporis, petisque illud esse organici*; at hoc modo etiam illa, *homo est animal bipes rectum*, potest esse essentialis, id est, *animal petens esse bipes, rectum*. Circa reliqua verba definitionis non est dubium, constat enim, ea omnia esse essentialia.

Alteram animae definitionem tradidit Aristoteles lib. 2. cap. 2. text. 24. scilicet *anima est id quo viuimus, vel sentimus, vel intelligimus*. Si haec definitio in sensu copulatiuo intelligatur, solum conuenit animae rationali, quae sola habet eas tres operationes: si vero sumatur disiuunctiue, id est quae *vel viuimus, vel sentimus, vel intelligimus*, comprehendit omnes animas; nulla est enim, quae non habeat aliquem ex his effectibus, & aliquae habent duos, vt animae brutorum, nempe vitam & sensationem, humana vero (vt iam diximus) omnes tres. Sed aduerte, vt definitio haec essentialis sit, debere accipi non de vita, sensatione & intellectione in actu secundo, quia vt sic esset accidentalis, solum ergo est fumenda de vita in actu primo, id est, *animam esse quae possumus sentire, nutrire, intelligere, &c.* Tunc autem habet haec definitio vitium hoc, quod tradatur per disiuunctionem; poruisset autem Aristoteles eam in communi hoc modo definire, *Anima est id quo viuimus*, in hoc enim omnes conueniunt. Habet etiam aliud vitium, quod, cum ponat illam particulam *uiuimus*, quae est generica ad omnes animas, postea ponit differentias, perinde ac si quis diceret, *animal est principium sentiendi, vel huiusmodi, vel discurrendi*, quae est mala definitio, vt inueni pater; ideo putarem, Aristotelem solum voluisse nostram animam definire, cui ea tria conueniunt. Sed neque hoc modo est liber a censura, quia tradidit eam definitionem per duo genera, *sentiens & viuens*, debuisseque praecise dixisse, *anima est id quo sentire & intelligere possumus*, quae fuisset bona animae rationalis definitio

& essentialis, quod vltimum male à nonnullis refutatur, eo quod putent, hanc esse descriptiuam, quia traditur per operationes: sed in hoc errant, traditur enim per principium operationum, id est *quae possumus in actu secundo viuere*, seu *quae viuimus in actu primo*; sicut homo definitur essentialiter per hoc, quod sit principium sentiendi, & discurrendi, & sic in aliis rebus.

SECTIO II.

Animus est actus informans, & substantialis.

NON defuerunt, qui animum rationalem non vnitum corpori, sed illi assistentem, sicut nauarchum naui, aut Angelum caelis quos mouet, reputarent. Mouebantur Primò, quia res spiritalis non potest vniri rei materiali, ergo nec animus noster corpori. Haec ratio nulla est: licet enim materialitas consistat in partium extensione, bene potest res spiritalis, etiam si indiuisibilis, extensionem locum occupare, & vniri rei diuisibili tota toti, & tota cuilibet parti. sic Deus, cum indiuisibilis summè sit, totus est in toto, & totus in qualibet vniuersi parte. Si verò consistat in impenetratione, etiam poterit res penetrabilis seu spiritalis vniri cum re impenetrabili, quae enim in hoc repugnantia?

Secundò arguunt: Anima est separabilis à materia, & subsistens, ergo non potest ei vniri. Sed facile retorqueo argumentum: Vna gutta aquae potest separari ab alia, & per se subsistere, ergo non poterunt vniri duae illae inter se. Negabit etiam obiciens, & meritò, hanc consequentiam, cur ergo eam facit in anima? Respondeo igitur, per vnionem non auferri inseparabilitatem, sed solum actuale separationem. Non repugnat autem villo modo, actu simul esse, quae possunt à se inuicem separari, vt infinitis exemplis ostendi posset, quae omitto, quia res est clara.

Tertiò: Quia omne quod recipitur, ad modum est recipientis, ergo res spiritalis non poterit recipi à re materiali. Hoc argumentum parum vrget, quia aliàs etiam non posset vllum accidens in substantia recipi, quia non est ad modum recipientis; illud ergo Antecedens negatur absolute, sufficit enim, si aliquam similitudinem habeat in ratione compartis, &c.

Haec sententia, vel error potius, rejicitur ex Viennensi Concilio Clem. De summâ Trinitate, vbi damnatur tamquam haereticus, qui animam rationalem negat esse veram formam corporis. Ratione naturali multis agit Hurtadus contra praedictum errorem Disputatione 1. sect. 3. aliqua tamen argumenta ipsius, si non omnia, tendunt ad probandum, dari inter animam & corpus vnionem distinctam ab vicatione animae & ipsius substantia. Tale est illud, quod in generatione hominis aliquid producit, hoc autem non est anima, neque corpus, neque praesentia localis, ergo debet esse vnio. Sed hic non debemus sententias confundere: licet enim negantes vnionem distinctam (vt ostendi Disputatione 14. Physicæ à num. 1.) rejiciendi omnino sint, non tamen sunt hi quos hic Pontifex damnat. Aliud enim est, dicere, animam vniri corpori per seipsum;